



DISSERTATIONEM IN AVGVRalem MEDICAM

A

CLAR. MEDIC. CANDIDATO

GEORGIO CAROLO CHRISTOPH. STOELLING

MEININGENSIS SAXO

DIE XXIII MENS. DECEMBER. MDCCCIL.

PUBLICE INSTITVENDAM

INDICIT

D. GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMER

CONSIL. SAX. AVLICVS, THERAPIAE PROF. P. O. ACADEMIAE
SENIOR, PHYSICVS PROVINC. H. T. DECANVS

ET

Plantas fabulosas recenset Spec. V. et Mythologic ult.



Pauca, quae ad rem herbarium, ex Mythologia declarandam re-
stant, nunc adhuc addamus. *Cynara* nomen retulit, ut RVELLIVS L.I.
p. 83. scripsit, quod gentilem ei puellam in hanc herbam versam com-
miniscantur. *Satyrum* a Satyris, qui primi silvestres dii colludentes
Nymphis per sylvas ad firmorem venerem hanc herbam invenerunt.
Conf. LAVREN. Apparatus p. 102.

Thraciae Mulieres, quae caedi interfuerant Orphei, a Libero ul-
ciscente aemulum scientiae suae in *arbores varias* abierunt, ut refert
Ovidius Met. L. X. v. 67 sqq.

Acacalis fructus fruticis in Aegypto crescentis, quem meminit
Diosc. L. c. 118. HERMOT in Coroll. ad *Diosc.* Fol. 49. b et RVELL
p. 152. Nomen *Nymphae* datum crediderunt, quae ut Apolline com-
pressa *Phylacidem* et *Phylanrum* ediderit in Creta nutritos a capra
eos fuisse, cuius rei monumentum in Apollinis Delphici delubro
monstrari tradit Pausanias. Conf. RVELL A. I. p. 72.

Herba quadam *Glaucum* Piscatorem in Deum marinum conver-
sum fuisse, *Ovidius* narrat Metam. L. 13. v. 897 sqq. *Glaucus* cum
speciosos pisces cepisset et eos vellet recentes in urbem ferre, sub
recentissimam herbam exposuit, ut illi vigore eius succoque contacti
merserunt se in profundum, admiratur vim herbae *Glaucus* eam de-

gustavit, ast mente alienatus ex alto se praecipitavit in Pelagum et sic inter Deos marinos receptus, vid. et *Cocceji Poemata* p. 115.

Inter fabulosas etiam illae referri debent herbae, quae, sive quod noctu luceant, sive alias ob causas Lunanae nominantur; in primis et inter has praecipue nominari debet illa a Prometheo in Argonauticis Apollonii descripta, natu, ut nugatur, ex sanguine aquilae illius, quae Prometheus iecur exedit flore cubitali curvo et geminis innixa caulis, radice succo sanguineo manante. Conf. de hoc et aliis C. GESNERVS de Lunanis Hafn. 1669. 8 edit.

Hastile Romuli crevisse in Cornum arborem testatur Plutarchus in Romulo; et de Iaculo Romuli narrat Ovidius Met. L. XV. v. 561.

Cum subito videf frondescere Romulus hastam quae radice nova, non ferro stabat adacto. Et iam non telum sed lenti viminis arbōr. Romulum enim cum venaretur, in monte Aventino persequens aprum, iaculum fecit, quod cum protinus in colle palatino haeserit, loco eius montis scala facta fuit, cuius ima pars adeo depressa terra est, ut sit comprehensa radicibus, effectum est novissime, ut in arboreum *Cornum* conversum sit. Ita BVRMANNVS

Primislans Dux Bohemiae tertius ex agro ad imperium convocatus est, stimulus quo boves urgebantur inter vias terrae defixus fertur mox fronduisse ac tres *Coryli* ramos emisse, ex quibus duo statim exaruerunt, tertium in arborem eiusdem generis procerum excrevisse *Myli* Annot. Phil. p. 190.

Commode hic quoque commemorari debet fabula de Hortis Hesperidum atque Aurantiorum fructibus. Atalanta Scheni seu Cenei filia cum oraculum de marito consuluisse, responsum accepit, Ipsi non opus esse marito, cum vero formasissima esset, a multis uxori pertebatur. Ipsa vero, ne eos prorsus aspernari videretur, edixit, se

nulli alii nupturam, quam a quo cursu foret superata. Cum autem iam multos superasset, Hippomanes Virginis amore captus in certamen cum ea descendit post accepta a Venere tria mala aurea in Hortis Hesperidum decerpta: sic cursum init Atalanta, quam simulacrum asperxit iam antecedentem, pomum unum proiicit, cuius fulgore aureo affecta virgo declinat cursus aurumque volubile tollit.

Alterum deinde mittit, novam ut injiciat moram et denique tertium, in quibus colligendis cum occupatur Atalanta, metam Hippomanes contingit et victam ducit sponsam. Vid. OVIDIUS Met. L. X. v. 560 sqq. et POMEY Panth. p. 97. de Malis dictis aureis aliae quoque extant Fabulae. Haec tellus in honorem Iovis et Iunonis, quo tempore nuptias celebrabant, edidisse fingitur. Iuno, ne mala manu carperentur, custodem apposuisse draconem quo interempto Herculem ea abstulisse legimus, aliter paulo narrat OVIDIUS.

Themis praedixerat fore, ut aliquis, Iove natus, ex Hesperidum hortis auferret aurea mala. Id metuens solidis pomaria cluserat Atlas montibus et vasto dederat servanda Draconi. Arcebaturque suis' extenuos fructibus omnes. Ultimo loco adducamus fabulam de Cere. Ceres formae decore ita praestans, ut ipsos etiam Deos in sui amorem converteret. A Iove et Neptuno deamata et compressa illi Proserpinam, huic autem, quod incertum est, equum aut filiam perperit. Dea autem aegerrime tulit pudorem amissum, abdiditque se in speluncam, ibique latuit, ut Deorum nemo scire posset, quid illa factum esset tandem reperta et a Iove persuasa moerorem depositus magna omnium laetitia, etenim per id tempus, quo illa delituit, ingenti calamitate universum animalium genus affectum fuisse corruptis ubique frugibus et cilariis fabulatur. Ceres enim Dea frugum erat, nomen forte ductum a gerendis frugibus, ut Ceres sit quasi Gerens aut quasi serens, vel ab antiquo verbo Cereo, id est creo. Conf.

POMEY Panth. p. 149. Qui etiam de Flora, Feronia et Pomona egit.

Ultimo loco notamus, nonnullos florem derivasse ex graeca voce $\chiλωρ̄ος$ viridis, inde Chloridis, nymphae celebres, nomen ortum traxisse, verosimile est, quae Zephyro nupta, dotis loco id a marito accepérit, ut omnium florum haberet potestatem. Literam vero X in E latinorum mutatam fuisse Ovidius refert Fastorum V. 195.

Chloris eram, quae Flora vocor, corrupta Latino
Nominis est nostri littera graeca sono.

Floram tamen, quae et Flaura dici consuevit et Herculis aeditua fuisse fertur, artem meretriciam exercuisse, uti Lactantius l. 20. autumat, minus certum videtur, siquidem non satis constat, fuisse eius nominis in urbe Roma meretricem, potius de Chloridis castitate eodem Fastorum L. V. 206. Ovidius testatur:

Inque meo non est ulla querela thoro.

Transeamus nunc ad Commentationem Nobilissimi et Doctissimi

CANDIDATI

GEORGII CAROLI CHRISTOPHORI STOELLING
qui vitae hucusque actae rationem sequentibus exposuit:

Ego GEORGIUS CAROLVS CHRISTOPHORVS STOELLING natus sum Meinungae die 2. Mens. Augusti Anno 1774. Patre IOANNE FRIDERICO, limboliae arti addicto; matre vero DOROTHEA IOANNA e gente GUNDRIANA, quorum parentum proborum, milii ob pietatem eximiam quam amplectebantur maxime venerandorum mortem acerbissimam iam aliquamdiu memoriae infixam doleo. In Lycaeо urbis patriae sequentium Praeceptorum Doctissimorum, Amplissimorum, de me maxime

meritorum praecepta percipi perutilia, nimirum, Dn. VOLKARTI, Cantoris; BEIERI, Correctoris, et BVTZERI, Rectoris. Artis chirurgicae tyrocinium rite sustinui apud Virum artis suae bene peritum, nimirum apud MOHRIVM, Virum ob chirurgiae inter suos cives exercitium felicissimum, fama celebratum. Anno 1798. Dresdam petii, ut Praelectiones a Collegii medico-chirurgici Doctoribus quae ibi haberi solent, perutiles in usum vertere possem, Nec frustra me ibidem audivisse lectiones Anatomicas Dn. LEHMANNI, Prosectoris in theatro anatomico dexterimi; Physiologicas Exp. HAENELII; Pathologicas et Clinicas Exp. RASCHIGI, Exercit. Sax. Elect. Protomedici; medicamentorum historias Exp. TITHI; morborum, qui puerperis et infantibus accidere solent, explicationes ab Exp. DEMIANI habitas; Pathologico-dentales, Exp. ANDRE; Chirurgicas Doctissimi HEDENI, Exert. Sax. Elect. Protochirurgi, aperte fateor, summa cum erga hos Praeceptores omnes ac singulos gratiarum actione. Anno 1800. Vitebergam veni animo, singulari cupiditate longiorum in arte medica progressuum faciundorum in primis agitato. Cui, ut satisficeret, ante omnia iura civis academicci rite impetrabam ab Illustr. Iurium Consultissimo KLEVEGELIO t. t. Rectore Acad. Magnifico. Quo facto statim frequentare incipiebam scholas Logicas Excell. KLOTZSCHII Poeseos P. P. O., Physicas et corporum naturalium historicas Exp. LANGGVTHII, Phys. P. P. O. et med. P. P. Extr., Therapeuticas et disputatorias Illustr. BOEHMERI Consil. Aulici et Therap. P. P. O., totius Academ. Senioris gravissimi; Botanicas, Physiologicas, Pathologicas, Clinicas Exp. KREISIGII. Anat. et Bot. P. P. O.; Pathologico-semioticas, Chirurgicas et examinatorias Exp. VOGTHI, Path. et Chirurg. P. P. O. subst.

Ceterum quoque traditam accepi Chemiae alteram partem a. b. GLAESERO; alteram a. Clariss. DOERFFYRTHIO AA. LL, Magistro, et

*Senatus Viteb. Assessore Amplissimo; Virium Nervorum stimulus
per Galbanismum agitandos notiores mihi fecit Exp. ERDMANN; Ar-
tis obstetr. partem theoreticam Exp. SCHWEIKERTO debeo. Omnibus
vero praeceptoribus meis maximas hic ago gratias ac debitas.*

Clarissimus hic Candidatus, cursu suorum studiorum feliciter peracto, nostrum adiit Ordinem atque summos in utraque Medicina honores modeste petuit. Et cum in examine die IV. h. m. instituo, optima protectum suorum specimina ediderit, decretum est ut sub Praesidio Excell. Dn. D. KREYSIGII Dissertationem propria Marte elaboratam *de Polypo narium* die XXIII. Mens. Dec. publice defendere. Solemni huic Actui ut RECTOR MAGNIFICUS, COMITES ET LIBERI BARONES, PATRES CONSCRIPTI ET GENEROSISSIMI COMMILITONES benevolē interesse velint, humanissime et observantissime rogamus.

